DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE DIAGNOSI PRAECIPUARUM…

Giovan Battista De Toni

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE DIAGNOSI

PRAECIPUARUM VENTRICULI AFFECTIONUM

QUAM PRO LAUREA

IN MEDICINA OBTINENDA

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

HABUIT

JOANNES BAPT. DE TONI

VENETUS

CHIRURGIAE DOCTOR



VENETIIS

APUD JOSEPH MOLINARI TYP. ED

MDCCCXXX.

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO HENRICO TROIS

MEDICO EXPERIENTISSIMO

MAGNI NOSOCOMII VENETI

MODERATORI PROVIDENTISSIMO

ATHENÆI VENETI TARVISINI

NEC NON UTINENSIS ACADEMIÆ SOCIO ETC. ETC.

Jo. Baptista De Toni

F

Tantulus ego sum, Vir clarissime, ut meis nequeam me viribus substinere, et si patronum exopto, humanitas et benevolentia, qua Tu mecum jam pridem usus es, Te unum designat, de cujus favore non solum sperare, sed etiam confidere possem; proesertim cum nobilissimae illi arti nomen dederim, quam Tu tam splendida laudis commendatione profiteris. Et quoniam ab Academicis legibus mandatum mihi fuit, ad summos honores in arte medica obtinendos elucubrationem aliquam publici juris facere, Te rogo

atque obtestor, Clarissime Vir, ut perlibenter sinas libellum hunc Tibi inscribi, et amplissimo Tuo nomine condecorare. Ita profecto primo ac tenui huic meorum laborum specimini nobile addatur a Te decus et ornamentum. Vale Vir praestantissime, et amore tuo me prosequi numquam desinas.

Dabam Patavii postr. nonas Martii MDCCCXXX.

Google

Inter viscera nobiliora innumerisque morbis obnoxia, cum ob suarum functionum eminentiam, tum ob antagonismi et sympathiae leges, ventriculus certe adnumerari meretur. Ex ipso enim chymus perficitur, ex quo chylus, lympha, sanguinis reproductio et nutritionis ipsius universum opus veluti a primo fonte procedunt. Ex physiologia quoque edocti sumus, vitae exercitium continua indigere reparatione, cujus potentia, rapiditas, et gradus pendent a chymi perfectione, nam magis ad nutritionem conferre videtur organorum digerentium facultas, quam ipsa ciborum indoles; hinc clare patet, si debita vi et energia ventriculus polleat, omnes simul nostri corporis functiones ad naturae legem necessario dirigi; si quacumque vero ratione stomachi salus laedatur, mutationes insignes

in tota partium compage diffundi. Quae cum ita sint, quis unquam aeriem enunciare possit affectionum ventriculum laedentium, vel earum, quae ab hujus visceris laesa functione ad caeteras partes promanant? Quid, si a mala ciborum digestione podagra pedes laborant, si a tristi nuncio anorexia? sed in tanta morborum ventriculi varietate erit ne facile primo intuitu morbos ejus idiopaticos a sympaticis, dynamicos ab irritativis et organicis distinguere? Et cum a recta morbi cujusque diagnosi curae ratio probe tantum deducatur, maximi erit momenti in tam difficili argumento semper et diligenter incumbere. Quod sane cum meeum ipse saepius consideraverim, operae pretium esse existimavi si uniuscujusque morbi ventriculum afficientis forma propriis signia distingueretur, ne cum aliis confundi queat. Is vero ego sum qui nesciam an in difficili argumento vera viderim, neque mirum si coram Vobis, Praeceptores sapientissimi, in dicendo mihi deficiat animus. Dicam tamen ut perantiquae ac celeberrimae hujus Academiae legibus satisfaciam, spe fretus eadem benevolentia et liberalitate, quam haoteuus expertus sum, me Vos esse in praesens prosequuturos.

Cum morbos aliquam humani corporis partem conflictantes Medici rite cognoscendos suscipiunt, id primum sibi proponunt, ut characteres quosdam unicuique morbo proprios definiant, quibus morbus unus ab altero distinguitur. Et re quidem vera si fibra ipsa simplex aut elementaris, uti appellant, aut textus quilibet et rigiditate et laxitate et atrophia et inflammatione aut alio vitio laborare potest, adeoque cura indiget toto coelo diversa, quid de organo dicemus ciborum digestioni dicato, quod muneribus suis ob diversissimas causas quandoque fungi nequit? Magni sane differentiam illam causarum faciendam esse vel tum existimavi, cum a Vobis, Praeceptores sapientissimi, aut in ventriculi fabrica et functionibus cognoscendis, aut in distinguendis ejus morbis, aut in horum curatione suscipienda institutus fui. Commode igitur ventriculi morbi trifariam dividuntur: alii scilicet sunt dynamici, alii irritativi, alii demum organici. Dynamici dicuntur ii in quibus vita universim vel exaltatur ut in phlogosi et in vario ejus exitu, vel imminuitur ut in ventriculi imbecillitate sub paresia aut paralysis forma. Secundae classi illi morbi sunt adscribendi, qui a conditione irritativa pen-

dent, et tandem perdurant quantum irritans potentia persistit, eaque remota statim extinguuntur. Huc pertinent morbi consensuales, orti nempe ab intima ventriculi cum caeteris organis relatione. In tertia demum classe considerandae veniunt affectiones omnes ventriculi structuram, ejus organicam et intimam texturam omnino vel aliqua ex parte mutantes. hunc locum tenent scirrhi et carcinomata vel ventriculi totius, vel cardiae tantum, aut pylori.

Et revera inter dynamicos morbos ventriculi praecipue gastritis est adnumeranda, quae num acuta sit an chronica causae et symptomata nobis ostendunt. Acutam gastritidem annunciat dolor continuus, acutus, ardens et feriens quodammodo in epigastrio, qui per oesophagum videtur adscendere, quique augetur aut a levi tactu, aut ab haustu cujuscumque substantiae, a tussi, a vomitu, a profunda inspiratione, vel a sternutatione. Dolori copulatur anxietas in epigastrio, quod tumet et turget, et sensu acutiore et calore torquetur. Nausea porro et vomitus frequens, singultus, spasmodica faucium contractio, sitis molestissima, et nihilo tamen secius aquae plerumque metus, alvi constipatio, febris ar-

dens, pulsus durus, spasticus, parvus, inaequalis et intermittens, calor summus viscera rodit, dum extrema frigescunt, virium debilitas, lypothimiae, dolor capitis et delirium. Ad diagnosim vero magis evidentem reddendam, hominis dispositio et causarum indoles erit animadvertenda; temperamentum enim sanguineum, aetas juvenilis, stomachi magna sensilitas et irritabilitas, sexus virilis, robusta corporis constitutio ad gastritidem acutam praedisponunt, et morbus de repente eos corripit quotiescumque causa aliqua irritans sive idiopathica sit sive sympathica mechanice aut chemice externa vel interna stomachum laedit. Idiopathicam causam ex. gr. praebent cibi calefacientes, potus fermentati, alkool, remedia purgantia, drastica, venena acria, laedentium corporum deglutitio, uti acus, spinae, hirudines, contusiones et ventriculi vulnera. Ad sympathicas causas pertinent capitis validiores laesiones, humoris alicujus fluxus impeditus, uti haemorrhoidum, variolarum, erysipelatum, et arthritidis sollicita suppressio etc. etc. De arthritide stomachum torquente clariss. Stoll nos reddidit certiores in sua Ratione medendi (Pars V.).

Non vero tam simplex est chronicae gastritidis diagnosis, nam magis obscura symptomatum et causarum cognitio mitissimi morbi larva saepissime decipit. Aeger plerumque sensim sensimque post cibum assumptum nausea conqueritur, quae in dies magis adaugetur cum constrictionis sensu non levi, et in ventriculi regione surdo profundoque dolore. Primo mane vomitus recurrit humoris insipidi, quo non superveniente dolor in epigastrio vehementius urget, digestio laboriosa fit, eaque omnia symptomata chymosim comitantur, qua functione peracta vel immionuntur vel evanescunt.

Medici officium est acutam et chronicam gastritidem apta methodo superare: utraque tamen non semper ad resolutionem aequo passu procedit; dietae enim errores et vis phlogoseos jam inchoatae inevitabiles exitus reddunt. Primus horum est suppuratio; haec sequela est gastritidis acutae phlegmonosae, et dignoscitur a vehementi pyrexia, et omnium symptomatum quadam exasperatione notabili, cui de repente levamen succedit; interea pus vel ab uno abscessu vel a pluribus in cavum visceris sibi viam sternit: tunc materies puris cibis commixta per vomitum ejicitur, vel

ex intestinis per anum critica diarrhaea exit; sed aliquoties per cavum ipsum abdominis abscessus aperitur peritonitidem fatalem gignens, quod vero rarissime fieri visum fuit. Saepius benigna indoles puris in saniem pejoris notae mutatur, et abscessus ad oesophagum faucesque extenduntur praecipue si homo scrophulia, scorbuto, lue venerea vel alia labe affectus sit. Iis in circumstantiis cura-tio ad universalem discrasiam magis quam ad topicam adfectionem dirigi debet. Sed venena irritantia sumpta adeo acri et caustica facultate pollent aliquoties, ut gangraenam ipsam illico parere valeant. Tali in casu aeger viribus fractis, linguae tremore, tendinum subsultu, vomitu substantiam odoris ammoniae similem sponte ejicit et interdum singultus, extremorum frigus, pallor faciei, imminentis mortis sat nota signa refert, cujus nec naturae nec artis auxilio datur vitare terribile fatum, nisi gangraena tantum intimam tunicam ventriculi occupet; tunc enim partis emortuae a viventi vomitu vel alvi ductione sejunctio aliquoties fit; quod si per vomitum eveniet, materiae in ventriculum contentae per abdominis cavum transmissio impeditur.

600

Ab hoc ordine dynamicorum morborum ad alterum gradum facimus, cujus indoles opposita ab imminuto vitae animalis robore dependet, adeoque spectat ad ventriculi ipsius imbecillitates. Hoc morbi genus a plurimis diversissimisque causis magis ortum ducit, et manifestatur imminutione vel perfecta abolitione sensus vel motus vel utriusque simul in textu musculari et nerveo hujus organi. Cum vero multiplices sint causae harum affectionum, necesse est eas sejungere quae ab externa potentia vel a sero collecto intra cranium aut in specu vertebrarum sumunt originem, ab illis quae in imminuta energia vitali, praesertim in ventriculi oeconomia, sedem habent. Ad hujus ordinis morbos magis praedisponuntur individui temperamento sensibiliori praediti, et hypocondriaco, histericae foeminae, nec non ii qui longo studio mentem et nerveum systema defatigarunt, nec non ii qui liquoribus spirituosis, et veneri immodicae nimis indulsere, qui drasticis remediis vel emeticis abusi sunt praecipue in aetate ad senectutem proxima. Occasionales vero causae sunt aer frigidus, tempestas hyemalis, subita exanthematum retropulsio, vel rheumatis, arthritidis, podagrae cita dissipatio. Digno-

Google

scuntur hi morbi paralytici ventriculi a diuturna perduratione, a laesa vel ablata potestate digerendi, quo fit ut cibi aeque ac deglutiti sunt per anum ejiciantur,doloreaoolicos, lienterias saepius et facillime exsuscitent, deinde ex eo quod dum aeger potum sumit rumorem quemdam peculiarem persentit, fere ac si liquor per cavum solidis elasticisque parietibus conflatum excurreret. Adde quod a sumptis alimentis de ponderis sensu conqueritur. Ex impedita chymi perfectione facile inde superveniunt consumptionis signa, febris vespertinis horis quotidie recurrens, prostratio virium, deliquia et sincopes. Fere nunquam vero completa paralysia ventriculi observatur, et rarius ad hoc organum tantum vitium est circumscriptum, saepissime siquidem cum paralysi linguae, oesophagi, tubi intestinalis et artuum, aut hemiplegiae sociatur.

In secunda classe morbos irritativo-sympaticos notavimus, inter quos primum consideranda venit repletio ventriculi ab alimentia vel quantitate majori vel quantitate minus digestioni accommodata sumptis. æger ponderis sensu in regione epigastrii torquetur, mentis functiones tenebris sensim sensimque obvolvuntur, inquietudo, dolor capitis, ructus nido-

602

rosi, nausea et tandem vomitus vel alvi fluxus; haec si sponte et cito locum habeant, sanitas de repente restituitur sola superstite membrorum debilitate. Vermes quoque ventriculo nidulantes similem morbi formam referunt. Natura sponte curationis normam designat; uti quoque in gastrodiniis ex deglutito veneno conveniunt ea omnia, quae minoris temporis intervallo corpus extraneum a ventriculo breviori via eliminant: hinc emetica validiora dosibus majoribus praescripta indicantur.

Minus vero facilioris curationis sunt innumerae propemodum visceris istius adfectiones a laesa organorum functione derivantes, cum quibus ventriculus connectitur. Omnes vero eae aegritudines praeter organi primitus adfecti propria signa sequentibus symptomatibus plus minus continuis vel recurrentibus notantur: nempe ponderis vel languoris sensu, distensionis, anxietatis et pressionis ad ventriculi regionem, flatus deinde murmura, ructus, post cibum faciei rubor levis, respirationis difficultas, oris pravus sapor, nulla fames et lingua albo muco obtecta irritationis sympathicae levioris praesentiam ostendunt; quod si vero validus hoc viscus

laboret, tunc suparveniunt mites et recurrentes dolores, diarrhaea faecum cinerei coloris, animi defectus; si ab uteri consensu morbus originem ducat, tunc sensus globuli alicujus ad fauces ascendentis suffocationem minitantis ab aegro incusatur; si ab hypocondriaca affectione dependeat, dolores in hepatis regione, color cutis et excretionum indolem morbi ostendunt: facilior vero diagnosis est si sympathico morbo aliqua externa potentia adsociatur in cerebrum agens, vel in spinalem medullam, vel vitium aliquod sit in liene in pancreate in renibus ec. Causae harum affectionum tot esse possunt quot viscera praecipua corporis humani aliquo pacto laedunt: hinc omnes cranii, thoracis, et abdominalium organorum ictus, vulnera, contusiones, hysterica, vel hypocondriaca passio, hepatis, renum, et cistidis calculi. Curationis indicationes omnibus in morbis hujus classis eaedem semper esse debent, nempe primarias affectiones oppugnare et adauctam sensilitatem organi sympathice affecti imminuere.

Sed nec dynamico tantum, nec irritativo sympathico modo ventriculus aegrotat; habetur insuper aliud genus morborum, quod

intimam ejus naturam immutat, scirrhus videlicet et carcinoma, vel totius organi, vel partis alicujus, ut pylori et cardiae. Ad causas generatim vitiorum istiusmodi pertinet abusus vini, et liquorum alkoole redundantium, compressio epigastrii, fluxus aliquis habitualis suppressus, interna praedispositio ad carcinomata, impetigo malae indolis retro pulsa, phlogoses visceris saepius repetitae, et male pertractatae, aut quae in individuo scrophuloso locum habuerunt: nunquam scirrhus ante trigesimum aetatis annum et raro post quinquagesimum stomachum vexat. Initio manifestatur ventriculi scirrhus per sensationem quamdam peculiarem, et aliquando suavem in epigastrii regione, praesertim jejuno ventriculo: huic succedit dolor surdus profundus recurrens, interim flatus evolvuntur, et primo mane materiae aqueae parva quantitas ejicitur. Post prandium fastidio aegri corripiuntur, et de doloribus ad lumbos, et ad dorsi spinam diffusis conqueruntur, cibi postremo tempore sumpti non ejiciuntur, sed qui antea fuerant ingesti: tactu tumor durus invenitur in epigastrio marmoris ad instar, qui eo magis videtur increscere quo parietes abdominis crassitie imminuuntur, ex quo fit

ut talis progressus major appareat. Progrediente morbo vomitus frequentiores fluunt, et materies ciborum adspectum refert sanguinis in grumos collecti, alvus primum adstricta diarrhaea reseratur, dolores continui sunt intollerabiles, ammoniaa odor per alitum emittitur, nunc delirium placidum, nunc mentis illaesa functio, et tabes rapido passu depascens ob impeditam digestionem, et icoris absorptionem, scenam morte peroptata claudit.

His signis patet agi de ventriculi scirrho aut de carcinomate occulto, et tandem aperto, sed habentur nonnulla peculiaria symptomata, quibus suspicari possumus vel totius visceris affectionem, vel vitium ad cardiam, aut ad pylorum finitum. Cum enim adest scirrhus ventriculi, vomitus sunt frequentiores, et materies ejecta minor est quo ad quantitatem, dolores magis intensi totam epigastrii occupant regionem, digestio omnino abolетur, et tabes rapidius decurrit.

Si vero agatur de scirrho, cardiae vomitus supervenit vix sumptis alimentis, deglutitio magis impedita, dolor superius ad hypocondrium sinistrum persentitur, hepatis, et lienis functiones morbi saltem initio ad natu-

rae normam perficiuntur, materies per vomitum ejecta nullam offert mutationem, tactu vix tumor percipitur. In scirrho pylori vomitus non apparet nisi aliquod post temporis intervallum a cibis sumptis; materies enim in ventriculo accumulatur ob impeditum egressum ad intestinum duodenum, tali pacto, ut ventriculus magnopere extensus tandem ad vomitum conetur, materies ejecta mutationes insignea subivit, tumor durus facillime persentitur, et saepe simulari visus fuit hepatis vel pancreatia scirrhum.

Etsi vero haec symptomata non omnia semper in praxi inveniantur, praecipua vero eorum cum adsint, illius morbi praesentiam probabilitate maxima pronunciare possumus, quin vero sedem determinatam vitii statuere nobis datum sit. Nec cum omnia fere signa deficiant, certam immunitatem aegro praedicare prudentis medici est; nam habemus multiplicia exempla aegrorum, in quorum cadaveribus tantum inventus fuit scirrhus ventriculi, dum nec dubia signa in suspicionem medicos aliunde peritissimos adduxerunt.

De cura earum affectionum, de quibus hactenus verba feci, nihil addam in praesens,

ut pote nimirum quia cum nequeam observationes meas referre, necesse mihi esset varias medendi methodos hic colligere, quibus celebriores medicae artis cultores hunc vel illum ventriculi morbum portractarunt. Eorum scripta prae omnium manibus sunt, et vestra abuterer patientia, Praeceptores sapientissimi, si crambem hanc usque ad fastidium Vestrum omnium recoquerem.

FINIS.

THESES.

I. *Non extra organismum, sed in eodem requirenda vermium genesis.*

II. *Systema nervorum & vasculare intime nectuntur.*

III. *In praxi medica magis experientiæ propriæ quam aliorum auctoritati fidendum.*

IV. *Insitio pustis vaccini semper a variolis præcavet.*

V. *Epilepsiæ remedium adhuc desideratur.*

392 r

30